

SCHOLION I.

§. 26. Necessè haud raro, e. g. in casu dato (§. 24.) quoniam littora slatiora saepius flumine, separatim quaerere EA, quod ex parte jam annotatum (§. 18.). Inuenimus vero EA paulo ante indicato calculo. In triangulo rectang. enim non latus BE tantum, sed & ED potest detegi (§. 24.). Jam quoniam latus ED cognitum, potest enim aequè facile inueniri ac latus EB (§. 24.), metire angulum EDA (§. 19.) & infer detecto prius angulo EAD, sinus EAD: ED = sin. EDA: EA (§. 36. Trig.). Vsum calculi Trigon. hujus esse loci (§§. 14. 15.) patefacient. Quodsi omnimodè in hoc, vti in praecedente (§. 16.) casu certitudinem obtinere vellemus variae hujus problematis solutiones instituendae essent (§. 12.), sed vero breuitatis studio in ipsis solutionibus variare mihi liceat, cum reliqua per se clara sunt.

PROBLEMA IV.

Fig. 8. §. 27. In nubis altitudinem inuestigare.

SOLUT. Nubes ventorum vi sedem suam facile immutant, solutionem igitur problematis tempore suscipe, quo omnes venti silent. Postea cum inter duos spectatores conuentum, ad quodnam nubis punctum collineatio sit instituenda, stationum differentia assumatur, altitudini proportionata, & vt vna vice, vno temporis articulo, omnia peragantur, tempus suscipiendae operationis machinae manuariae bellicae minoris explosione, vel ignis artificialis, quod longe melius, accensione indicetur. Hoc facto 1) mensurandi sunt anguli AEF & AFE, quo tertius EAF prodeat, 2) decempeda stationum differentiam EF mensura, 3) in triangulo AEF determina latus EA vel AF (§. 34. Trig. §. II.). Jam 4) altitudo nubis AB triangulum rectang. AGF efficit, in quo, praeter latus AF angulum F scire poteris, quo ipso 5) inferendum sinus tot. : AF = sin. F : AG. Denique si 6) instrumenti tui altitudo addatur, habebis q. e. i.

SCHOLION I.

§. 28. Vsum haec in Physicis, & in specie in Nephelometria habent egregium. Sine hujus enim notitia stupendorum effectuum, quos nimbi aut fragmina nubium edere